

parat. Quibus quum inter bella assuescere videret non posse, quippe efferatos militia animos; mitigandum ferocem populum armorum desuetudine ratus, Janum ad infimum Argiletum, indicem pacis bellique fecit: apertus, ut in armis esse civitatem, clausus, pacatos circa omnes populos significaret. Bis deinde post Numae regnum clausus fuit: semel T. Manlio consule, post Punicum primum perfectum bellum: iterum, quod nostrae aetati dii dederunt, ut videremus, post bellum Actiacum, ab Imperatore Caesare Augusto, pace terra marique parta. Clauso eo, quum omnium circa finitimorum societate ac foederibus junxisset animos, positis externorum periculorum curis, ne luxuriarentur otio animi, quos metus hostium disciplinaque militaris continuerat; omnium primum, rem ad multitudinem imperitam, et illis saeculis rudem, efficacissimam, deorum metum injiciendum ratus est. Qui quum descendere ad animos sine aliquo commento miraculi non posset, simulat sibi cum dea Egeria congressus nocturnos esse; ejus se monitu, quae acceptissima diis essent, sacra instituere; sacerdotes suos cuique deorum praeficere. Atque omnium primum, ad cursum lunae, in duodecim menses describit annum: quem, quia tricenos dies singulis mensibus luna non explet, desuntque dies solido anno, qui solstitiali circumagitur orbe, intercalariis mensibus interponendis, ita dispensavit, ut quarto et vigesimo anno ad metam eandem solis, unde orsi essent, plenis annorum omnium spatiis de congruerent. Idem nefastos dies fastosque fecit, quia aliquando nihil cum populo agi utile futurum erat.

CAPUT XX.

Tum sacerdotibus creandis animum adjecit, quamquam ipse plurima sacra ebibat, ea maxime, quae nunc ad Dialectem flaminem pertinent. Sed, quia in civitate bellicosa plures